

mentem interficere habuerit necesse. Neutiquā is de defensionis sibi gloriari valebit privilegiis. Suo imputet furori, quod propriā vitæ periculo sese subjecerit culpā. Damnum ipse alteri inferre intendit, quod jure prohibente alterum evocaverit. Damnum quippe facit, qui id fecit, quod facere jus non habet *l. 151. π. de R. J.* Et licet contrarius ejus intentionem deceperit eventus; inde tamen nullā gaudebit excusatione. Adducendum hīc Constantini rescriptum in *l. 6. C. ad. Leg. Jul. de vi publ. & priv.* *In eum exerceri, inquit, qui vim facere tentaverit, & alterutri parti causam malorum præbuerit.* Non eventus & finis agentis intentioni contrarius, sed principium hīc attendendum. In authorem rixæ & rei illicitæ hīc potissimum inquirendum. Contra eum quippe juris præsumtio militat, quod ipsemet suā sponte vitam periculo objiciens in vitæ periculo haud poterat esse constitutus. Et licet probaverit occidens, se in mortis positum fuisse periculo, spontanea tamen eum adhuc accusat protervia. Unde meritò fortunam, quam sibi fabricavit, ipsemet experiatur. *V. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 16. n. 17.* Interim & illud hīc notatu dignum judicaverim; crebram de lictorum grassationem augendi pœnarum acerbiter civili potestati imponere necessitatem. Eapropter potentissimus Saxonix Elector GEORGIUS II. Dominus noster clementissimus provocantem æquè ac provocatum homicidii reos indiscriminatim ordinariā homicidii pœnā plectendos constituit severè. *Policeyordnung tit. 7. §. 2.*

IX. Dicta hæc tenent eò omnia tendunt, ut legitimum offensionis & defensionis ostenderent ordinem. Qualitas jam offensionis ponderanda. An præcisè actualem vis illationem jura desiderent dubitaverim. De solā interim minatione intricata moveri potest difficultas. Divus Hadrianus præcipuè, teste Marcianò in *l. 1. §. 3. π. ad L. Corn. de sicar.* rem rescripto suo reddit difficilem. Metitur is animum occidendi ex gladii evaginatione conjunctā actuali percussione. *Nam si gladium strinxerit, inquit, & in eò percusserit, indubitatè occidendi animò id eum admisisse.* Ex hisce constaret, defensionem cum occisione adversarii conjunctam non esse proportionatam offensionis factæ; nisi actualiter prius defendens percussus. Et aliàs in quamplurimis

causis